



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Atri festique dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

PETULANTIÆ SUPPLICIUM. CAP. XX.

Per animal hoc Ægyptii Sacerdotes eum, qui pœna sit affectus ob nequitiam, qua fuerit in muliere aliqua petulans, significabant. Proditum enim est, fibrum in venatione deprehensum suos sibi testes abscindere, atque eos projicere, gnarum se eorum præcipuè assequendorum causa peti. Nam & adulteri eadem affici pœna solent, ut deprehensi præsecis testibus dimittantur. Omnibus vero animalibus natura duce ostensum, ut & commoda sua norint, & nocentia contrariaque sciunt declinare. Hinc illud epistola Saporis regis ad Constantium Imperatorem, cui suadere conabatur, ut bona Asiatici regni dimissa parte, quieti & incolumitati suæ confuleret, hoc bestias facitare dicens, quæ cum advertant, cur maximo opere capiantur, illud propria sponte amittant, ut vivere deinde possint impavida. Amputari tamen hos ab eo animali cum capitur, negat Sestius diligentissimus Medicinæ professor: quinimo parvos esse substrictosque & adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse: adulterari autem renibus ejusdem, qui sunt grandes, cum veri testes exigui admodum reperiantur, ammoniaci coloris circumdati liquore, veluti mellis cerosi, odoris gravis, gustu amaro & acri, ut sternumenta olfactu moveant. Utrumque verò, sive sponte, sive vi testes auferantur, cum satis constet eos ea præcipuè de causa conquiri, non inepte datus hieroglyphico locus, ut per id animal id supplicii genus ostenderetur, quo mœchorum lascivia puniri consuevit, atque ita male tractari.

ATRI FESTIQUE DIES. CAP. XXI.

Sunt qui i atos festosque dies per fibros ita distinguant, ut cum festum significari velint, anteriora ejus pingant, propterea quod populi plerique, qui nostræ pietatis ritu vivunt, à Ponto & à Sæptemtrione in Pannoniam usque porrecti, anterioribus membris pro carne vescuntur, posterioribus piscis loco: caudam vero ejus animalis, quæ præpinguis prægrandisq; est, salitam plurimum conditamq; pro tarico pisculento habent, eaque jejuniorum tempore, quo nobis constitutione Pontificia carnibus interdictum est, mensis inferunt: ejusmodi enim dies pleræque nationes Atros vocant, quibus carne vesci ex lege nostra non licet. Ea vero illi ratione se tuentur, quod posteriores fibri partes aquis semper innatantes, piscem dicant, & esse arbitrentur: quia scilicet animal id tam aquaticum est quam terrestre, cum in extremo riparum semper degat, partem quæ caput, versus tendit, terræ dedicant, & carnem esse voluerunt.

DE TALPA. CAP. XXII.

Quoniam vero Talpa nonnihil habet similitudinis cum fibro, quo ipsa quoque in terræ cavis habitat, ut de ea post fibrum dicamus, admonemur.

CÆCITAS. CAP. XXIII.

Vulgatissimum est Talpam pro cæcitate poni, vulgatiusque proverbium, τὸ φλότερον ἀσπίδα λαλῶν: propterea quod animal perpetuæ cæcitatibus tenebris damnatum est, lucemq; ita habeat adversariam, ut simulac ad diurnam claritatem eductum fuerit, emoriatur. Atque hoc illud est quod in Academicis questionibus ait Cicero: Quid Talpam? num desiderare lumen putas? Nihil ea prorsus videt, neque quidem oculos habet, ut veteres tradidere: ut vero observarunt alii, habet utique partes easdem omnes, quibus oculi integri constant, nigricantem quippe illam orbiculum, & quod intra eum continetur, quam pupillam vocant, atque etiam portionis albidæ ambitionem, sed non tam liquido, quam oculi conspecti & eminentes. Nec in partem exteriorem apparere hæc possunt, propter cutis, quæ crassiuscula circum obducta est, corpulentiam: utpote cum natura inter generandum lædatur, atq; ita opus inchoatum relinquatur. Utrumque, apud Hefychium Talpa hujusmodi cæcitatibus ergo hieroglyphicum est & ignorantia, cum oculus sua pollens vi, cognitionis & intelli-